

*Ethiopic.* 50. Quod mandatum ejus, vita, quæ in æternum est. *Arabicus.* Et quod loquor, sanè profero illud tantummodo. *Persicus.* Pater mihi dixit, ita loquor.

EXPOSITIO VIII.

100. **S**I QUIS audierit verba mea: Suprà imediatè, quòd ipse ut lux venit in mundum; cum mundus esset in tenebris, ita ut credentes in eum per suam fidem ac doctrinam erueret à tenebris ad lucem perennem: nunc proponit penam eorum, qui cum fide non receperunt, nec credunt doctrinæ illius. *Et non custodierit:* Græcus habet: *Non crediderit:* & subdit: *Ego non iudico:* *Persicus:* *Ego non sum, qui condemnabo:* sed malitia tua, & iniquitas tua te iudicabit, & condemnabit: Ita D. Cyrillus, Theophylact. D. Thom. juxta illud: *Arguet te malitia tua:* Jerem. 2. n. 19. Hebræus legit *Castigabit malitia tua:* Et hoc amplificat Dominus, dicens: *Non enim veni, ut iudicem mundum, sed ut salvificem mundum:* juxta illud quod ipse Dominus dixit supr. Joan. 3. n. 17. *Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Quod latè explicavi tom. 2. in Evargelia cap. 3. à q. 53. & deinceps. *Qui spernit me:* Prosequitur magis explicare penam non credentium, qui enim me contemnit, & non accipit meam fidem, & doctrinam, sciat, quòd habet Deum Patrem, iudicem, & vindicem. Sicut ipse supra dixit: *Ego non quero gloriam meam, est qui querat, & iudicet:* Joan. 8. n. 15. *Ego non quero gloriam meam, est qui querat, & iudicet:* scilicet, Pater meus. *Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in novissimo die:* D. August. tract. 54. in Joan. per sermonem intelligit ipsummet Christum, qui est sermo & Verbum Patris: Apertius tamen Rupertus per sermonem intelligit ipsummet sermonem, ac doctrinam Christi. Ait ipse. *Sermo quem locutus sum:* qui nempe, à me est dictus, & prædicatus, & non est auditus, & creditus à Judæis: *Ille iudicabit eum:* Non quasi, quòd sermo sit persona, quæ iudicet, & condemnet; sed quod erit argumentum, ac motivum condemnandi, ac iudicandi incredulos; sicut dicitur quod Ninivitar, & Regina Austri surgent in iudicio cum generatione ista, & condemna-

bunt eam: Matth. 12. n. 40. & 42. Erit, nempe, argumentum condemnationis ejus. *Quia ego ex me ipso non sum locutus:* Quamquam D. Chrysostr. & Euthymius dicant, quòd illa particula, *Quia,* est explicativa, & posita pro explicatione superioris sententiæ: tamen melius D. Cyrillus, Leontius, Theodor. accipiendam esse causaliter asserunt. *Asignat Christus causam,* cur ille qui ei non credit, jam iudicatus est, quia ipse non loquitur ex se, sed ex Patre à quo missus est, ac proinde non credit Deo, quia Pater Deus est. An Christus hinc loquatur prout Deus, vel prout homo? dubitatur. D. Ambros. D. August. Beda, Theophylact. ad Divinam naturam referunt, quia filius non est ex se, sed ex Patre, nec aliud mandatum habet à Patre, nisi ipsam divinam naturam communicatam per æternam generationem. Veri similius D. Cyrillus, D. Chrysostr. Leontius, D. Thomas, tenent Christum de se loqui, quatenus homo, quia loquitur de se prout est missus à Patre in hunc mundum, & prout mandatum habet, quod propriè est ad ipsum, prout homo est. *Quid dicam, aut quid loquar.* Inter dicere, & loqui, est distinctio: Nam dicere, est docere, & prædicare; loqui verò est familiariter verba habere. Unde ait Varro lib. 5. de lingua Latina: *Loquor, dicitur à loco; infans primò sari dicitur, deinde loqui: loquitur ergo, qui suo loco & loqui distinet.* Cum, nempe, conveniunt in uno loco ad dicendum. Et ait Christus: Ipse, nempe, Pater dedit mihi mandatum *Quid dicam, & quid loquar:* id est, quid aliud possum prædicare, ac docere, & apud me habere, præter id, quod in mandatis habeo à Patre; sicut ipse dixit supra c. 5. n. 30. *Sicut audio iudico:* quod explicavito. 3. c. 2. q. 9. *Et scio, quia mandatum ejus vita æterna est:* Dixit, ut notat D. Chrysostr. illud, *Scio,* ad indicandam magnam energiam, ac efficaciam dicendorum, & ait: *Mandatum vita æterna est.* id est: mandatum dei ob illius observationem, esse causam meritoriam *vita æterna:* Sicut dicitur Roman. 6. n. 23. *Gratia Dei vita æterna:* id est, causa vitæ æternæ. Hæc autem dixit Christus ad exaggerandam culpam eorum, qui non credunt, & maxime ad invitandum, ac incitandum ad observationem divinorum mandatorum. *Sicut dixit mihi Pater, sic loquor:* ostendit verba sua esse verba Patris, ac proinde esse vitæ æternæ.

lavas pedes? 7. Respondit Jesus & dixit ei, quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea. 8. Dicit ei Petrus: Non lavabis mihi pedes in æternum Respondit ei Jesus, si non laverò te, non habebis partem mecum. 9. Dicit ei Simon Petrus, Domine, non tantum pedes meos, sed & manus, & caput. 10. Dicit ei Jesus: Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. 11. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum, propterea dixit, non estis mundi omnes. 12. Postquam ergo lavit pedes eorum, & accepit vestimenta sua: cum recubuisse, iterum dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? 13. Vos vocatis me, Magister, & Domine, & bene dicitis, sum etenim. 14. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus, & magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes. 15. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. 16. Amen, amen dico vobis non est servus major Domino suo, neque Apostolus major est eo, qui misit illum. 17. Si hæc scitis, beatè eritis si feceritis ea. 18. Non de omnibus vobis dico: ego scio quos elegerim: sed ut adimpleatur Scriptura: *Qui manducat mecum panem levabit contra me calcaneum suum.* 19. A modo dico vobis, priusquam fiat: ut cum factum fuerit credatis, quia ego sum. 20. Amen, amen dico vobis, qui accipit si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me misit. 21. Cum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu: & protestatus est & dixit: Amen amen dico vobis: quia unus ex vobis tradet me. 22. Aspiciebant ergo adinvicem Discipuli, hæsitantes de quo diceret. 23. Erat ergo recubens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus. 24. Innuit ergo huic Simon Petr. & dixit ei, *Quis est de quo dicit?* 25. Itaque cum recubisset ille supra pectus Jesu, dicit ei, Domine, quis est? 26. Respondit Jesus: ille est cui ego intinctum panem porrexero: & cum intinxisset panem dedit Judæ Simonis Iscariotæ. 27. Et post buccellam, tunc introivit in eum Satanas, & dicit ei Jesus: *Quod facis, fac citius.* 28. Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei. 29. *Quidam enim putabant, quia oculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesu, eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis, ut aliquid daret.* 30. Cum ergo exisset, dixit Jesus: *Nunc clarificatus est filius hominis: & Deus clarificatus est in eo.* 32. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso: & continuo clarificabit eum. 33. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me, & sicut dixi Judæis, quòd ego vado, vos non potestis venire, & vobis dico modo. 34. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem. 35. In hoc cognoscet omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adinvicem. 36. Dicit ei Simon Petrus. Domine, quòd vadis? Respondit Jesus: *Quòd ego vado, non potes me modò sequi, sequeris autem postea.* 37. Dicit ei Petrus: *Quare non possum te sequi modo? Animam meam pro te ponam.* 38. Respondit ei Jesus, *Animam tuam pro me pones? Amen amen dico tibi: non cantabit Gallus, donec ter me neges.*

ARGUMENTUM CUM Remissionibus.

*Primò Vers.* Ante institutionem sacre Eucharistia lavat Christus D. Discipulorum pedes quod satis latè explicavi tom. 5. lib. 7. c. 5. *Secundò Vers.* 20. Prædicat se mox à Iuda

tradendum, eumque per intinctam buccellam Joani indicat; quod expendi tom. 5. lib. 7. c. 6. *Tertiò Vers.* 33. Dat Dominus novum dilectionis mandatum, de quo egi tom. 5. lib. 7. c. 9. *Quarto Vers.* 34. Prædicat Dominus trinam Petri negationem; de qua egi tom. 5. lib. 7. cap. 10.



CAPUT XIII.

**A**NTE diem festum Paschæ sciens Jesus quia venit horæ ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo in finem dilexit eos. Et cœna facta cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotes: 3. sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exivit, & ad Deum vadit: 4. surgit à cœna, & ponit vestimenta sua, & cum accepisset linteum, præcinxit se: 5. deinde misit aquam in pelvim & cepit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus. 6. Venit ergo ad Simonem Petrum, & dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas